

## CORN A V I I.

**P**er agratis jam ordine CORITANORVM regionibus, qui proximi ad Occiduum Solis plagam fuerunt, CORNABII sive CORNAVII sunt perlustrandi: quorum eruco excutiant alii; vim verbi in aliud, atque aliud ducere possum, sed cum ex illis nullum loci natura, populique ingenio respondeat, furcillis malim ejicere, quam his nostris commentariolis intexere. Quod igitur instituti est, provincias quas CORNAVII ex Ptolemai descriptione tenuisse videntur, seorsim percurram; videlicet Warwicke-shire, Worcester-shire, Stafford-shire, Shrop-shire, & Che-shire. In quibus nullum Cornaviorum nominis vestigium hodie supereft, licet hoc nomen ad inclinatum usque Romanorum imperium permanisse videatur. Sub posterioribus enim Imperatoribus CORNAVORVM Numeri & turma meruerunt, ut videre est in libro notiarum.

## W A R W I C K - S H I R E.

**P**ro Agus Warwicensis, qui Anglo-Saxonibus, uti nobis Warwick-shire, ab Orteo cardine Northantonensibus, Leicestrensis, & via militari, quam dixi; ab Australi Oxi-niensibus, & Glocestrensis; ab Occiduo maxima ex parte Wigorniensibus, & à Septentrione Staffordiensibus finitus, in duas distinguitur partes, in Feldon scilicet, & VWoodland, id est, in regionem campestrem, & sylvestrem. Quas Avona flumen oblique per medium regionem ab Ortu axtivo in Occasum Brumalem defluens quodammodo sejungit.

Feldon cis Avonam ad Austrum campestri jacet planicie, frugibusque & virenti gramine læta prospectum amoenitate plenissimum despectantibus è colle, quem Edg-hill vocant, præbet. Qua vero hic collis juxta VVarnington definit vallum militare rotundum satis magnum vidimus, quod ut id genus alia opinemur in usum non longi temporis ingruentibus olim hostibus factum fuisse. Ex rubente autem hic terra Rodway, Rodley, & pars magna vallis ipsius The vale of Redhorse nuncupatur, à forma equi in colle rufescente juxta Pillerton à rusticis excisa. In hac parte memoranda sunt Shipston, & Kinton, alterum ovium, alterum vaccarum forum jam olim, unde & nomina invenerunt, Compton in the hole ita appellatum quod sub collibus in convalle lateat: suas tamen habet amoenitates, & unde inclyta familia nomen traxit, è qua Henricum Compton ad Baronis dignitatem anno reparata Salutis C 10 D LXXII, augustissima Reg. Elizabetha provexit. VVorme-leighton ovium pasta nobile, sed nobilis ex quo clarissimum virum Ioannem Spencer, de quo jam diximus, Baronem Spencer de VVorme-leighton Rex Jacobus creaverit. Shugbury, ubi Astroties lapides reperiuntur, quos loci domini de Shugbury dicti, in suum digma gentilitium transtulerunt, Southam mercatus haud ignotus, & frequens, nec non Leamington, à Leamo fluviolo qui hanc partem pererrat sic dictum, ubi fons falsus ebullit, Vehindon, nunc Long Ichingdon, & Harbury. Nec alio sane nomine hæc duo memoranda sunt, quam quod inter ea Fremundus Offæ regis filius ex infidili nefariè olim occisus fuerit; vir magni no-

minis & singularis in Deum pietatis, cui nihil aliud invidiam conflavit, quam quod infelici tempore, felicibus aufpiciis hostium audaciam contudisset. Quod tamen ejus fatum in majorem illi gloriam cessit. Nam sepultus ad Offæ patris palatium (Off-Church nunc dicitur) posteritati adhuc superstes est, utpote qui inter indigentes relatus church. divinos honores apud multitudinem meruit, vitaque ejus carmine satis eleganti ab antiquo scriptore descripta, è qua non sit piaculum, hos pauculos versus subjugere de homicida qui regnandi libidine percitus illum sustulit,

Non sperans vivo Fremundo, regis honore  
Optato se posse frui, molitur in ejus

Immeritam tacito mortem, gladioque profanus  
Irruit exerto servus, Dominique jacentis

Tale nihil veritum sevo caput amputat itcu.

Talis apud \* Wydford Fremundum palma coronat, \* Alibi  
Dum simul & fontes occidit & occidit insens.

Hæc in Feldon sive campestri parte, quam (nec omittere decet) via illa antiqua Fosse transverse intersecat, cuius agger in pascuis jam deviis cer- nitur prope Chesterton, habitationem pervetustæ familiæ Peitorum, è qua fuit Guilielmus ille Peito Franciscani ordinis, quem Cardinalem & Angliae Legatum in invidiam Cardinalis Poli Paulus Quartus P. R. (tantæ inerant animis cœlestibus iræ) frustra creavit, cum Polum Romam accersisset tanquam depravatæ religionis reum. Verum Maria Regina, quanquam Romanæ Ecclesiæ devotissima, ita se interposuit, imo opposuit, ut Peito Angliam ingredi prohiberetur, & Legativa authoritas integra Polo relinquere-tur. Nescio an hic memorare intersit quod regnante Edwardo Quarto, quidam scriptis libris conquesti sint Avaritiam in hoc tractu ovium gregibus tanquam copiis contractis villas frequentes obsedisse, agricolis abactis expugnasse, & tanta cum clade excidisse, ut ex illis vir eo ævo doctus cum Poëta exclamarit:

Quid facerent hostes capta crudelius urbe?

Ad Avonam vero flumen, ubi adhuc exilis hunc Comitatum subintrat, Rugby se primo offert la- niis forum frequentissimum, deinde Newenham ham. Regis ad alteram fluminis ripam, ubi tres fontes alumine, ut videtur, percolati erumpunt, quorum aqua lacteo colore & sapore, calculo mederi

Roffus, &  
T. B. contra villa-  
rum de-  
structo-  
res.

Newen-  
ham.  
Fontes sa-  
lubres.

per-

Feldon.

The vale  
of Red-  
horse.

Shipston  
in Com.  
Wigor.  
Kynton.  
Compton.

Worme-  
leighton.

Shugbury.  
Astroties  
lapides.

Leam-  
ton.